

esse periculo. Scio hæc non inaniter dici, sed magno, & ut sic dicam, palpabili fundamento. Vnde & metus est cadens in constantem virum, quem in hoc negotio requiri ex Zanardo habet Diana Resol. 13. citat. & Carena num. 63. & 64.

DUBIUM III.

An ob imperfectionem actus possit casus, de quo agitur, à pœnis Constitutionis Pij V. alienus pronuntiar.

204 **Q**uia scilicet ereptus reus, Tribunali est tandem S. Officij consignatus, vt in narratione perspeximus. Imperfectionem namque actus obstat pœnarum incurfioni dicti à Nobis hoc Titulo, num. 2. & in materia præfenti loquendo sic tradere videtur Soula in Aphorismis, Lib. 1. Cap. 28. num. 16. vbi ita scribit: *Impedientes Officium S. Inquisitionis effectu non securo, non excommunicantur in Bulla Cœnæ. Dixi supra, Cap. 23. n. 19. Farinacius §. 7. num. 101. & seqq. sic ibi. Et loco à se allegato sic habet: Receptatores hereticorum (idem est de fautoribus & defensoribus indicandum) non excommunicantur effectu non securo: ab Inquisitoribus tamen puniendi sunt. Sanchez numer. 9. (scilicet Decalogi, Lib. 2. Cap. 10.) Hæc ille, citans insuper se ipsum in Expositione Bullæ Cœnæ variis in locis. Et cum de impedientibus loquens idem velit intelligi de ipsis, quod de fautoribus ac defensoribus, non solum de excommunicatione Bullæ Cœnæ intelligendus venit, sed etiam de pœnis alijs constitutis, cum & ipse teneat citat. Cap. 28. num. 14. impedientes esse fautores, & tales esse etiam non in odium fidei n. 17. vt probabilius. Pro eodem stat Bonacina Tom. 3. disput. 1. quest. 2. Puncto 3. num. 3. qui male, vt sepe sacere solet (verba sunt Dianæ Tract. 7. cit. Resol. 21. §. Sed in fine) citat pro se Suarez & Filliucium. Et licet de receptoribus & fautoribus loquatur, de eisdem vt impedientibus etiam loquitur, quod plus est, vt diximus, quam simplex receptio & fauor. Tenet etiam P. Tamburinus Lib. 2. in Decalogum, Cap. 1. §. 6. n. 7. & Leander Part. 4. tractat. 3. Disputat. 1. quest. 21.*

205 Dico primò. Imperfectio actus in casu nostro non tollit pœnarum incurfionem. Sic de receptoribus & fautoribus loquuntur P. Suarez, P. Palaus, Sayrus, Graffa, Megala, & Duardus, quos adducit & sequitur Diana loco citato §. At his non obstantibus, & P. Martinon Tom. 5. Disp. 59. n. 14. & in casu, de quo agimus, est pro eo manifesta Pontificis mens, dum §. 4. sic statuit: *Sine alijs auxilijs, consilijs, aut fauore, publice, vel occulte, in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum, direptum, nullum denique damnum reipsa sit secutum, nihilominus hic sit anathemate presentis Canonis auctoritate ligatus.* Sic ille: ad quod non est quod possit verosimiliter responderi, & ita in terminis casus nostri tenet Ignacius Lupus in edictum S. Inquisitionis, Lib. 24. Dict. 1. art. 2. Difficult. 4. §. Circa vtramque, & Difficult. 7. ad finem. Qui de receptoribus idem tenuerat Lib. 14. Dist. 5. art. 3. Difficult. 2. & Carena supra, numer. 50. & 66. qui

perterrefacientes restem tantum excipit. Videtur etiam num. 104. vers. *Notare.* Vnde qui negasse videntur Auctores, speciale hoc statutum non videntur attendisse, neque in terminis illius locuti. Et Soula quidem parum consequenter processit, qui citat. Cap. 23. numer. 10. ita scribit: *Receptans hereticum non desinit esse verè receptor, quamuis pœnitenti ductus illum voluntarie & non delatus manserit: minus tamen puniri debet.* Decian. Crimin. Titul. 5. Cap. 51. num. 78. Farin. num. 155. Sic ille. Atqui receptatio fuit ne receptatus in manus iudicum veniret, qui effectus non est secutus: quod ergo de non secuto effectu alias dicitur, non est solidà ratione subnixum.

206 Aliud ergo est actum prohibitum non fuisse perfectè talem, & aliud non fuisse secutum effectum, ad quem ille tendit. Vt qui furari aut occidere intendit, non tamen furatus est, aut occidit, pœnas furis aut homicidæ non incurrit, ob actus imperfectionem minime sufficientem ad absolutam denominationem talis, quia neque furtum, neque homicidium dici potest, quod sub his terminis prohibetur. Qui autem resistit iustitiæ ministris, ne in manus eorum cadat, licet reuerà capiatur, pœnis resistentium subiectus manet, quia resistentia per se prohibetur, & per accidens est, quod captura sequatur, aut non sequatur: quod in casu nostro euenit: receptans enim verè receptat, & fauens verè fauet, & captum eripiens verè eripit, quæ actiones per se sunt prohibite sub pœnis adiectis, vnde iuxta illas est iudicandum, & non ex subsecutis per accidens. Et ita currit doctrina, de qua Nos num. 2. Tituli huius.

207 Dico secundò. Licet quoad excommunicationem latam in dicta Bulla, nulla esse possit exceptio, quia in eà non est magis aut minus, in alijs tamen pœnis esse remissio aliqualis potest, quando non est secutus effectus. Id probat. Quia inflicto pœnarum huiusmodi non est omnino præcisà, ita vt debeat necessarìo statui à DD. Inquisitoribus, etiam crimine plenè probato. Vnde ex Zanardo obseruat Diana cit. Resol. 13. §. Non desinam, quod ad infligendas pœnas positas in dicta Bulla consulendus est Senatus Cardinalium super negotijs fidei deputatus. Pro quo bonus testis ille Tribunalis sancti diurnus Consultor. Et P. Palaus supra, num. 13. affirmat pœnam mortis impositam non esse in vfu, nisi in casu rarissimo. Est ergo locus arbitrio, & ita in casu non secuti effectus habere illud potest locum, quia ratio pro eà congrua est satis, & maxime cum impediens pœnitenti ductus restitutionem cum effectu fecit, vt ex Soula est positum num. 203. de receptatore, qui & ipse est impediens, vt diximus. Sed si quis fuerit è manibus ministrorum ereptus, & vt sibi consular fugiendo permissus, alijs capiatur, id ad euitandam pœnam nihil videtur conducere, nisi quatenus iuuare eum plus forsitan potuit, & noluit, eripuisse contentus. Vnde res hæc ex circumstantiis maxime pendet, quæ in causis criminalibus magnum solent habere momentum.

DU-

DUBIUM IV.
An ex eo quod impedimentum non fuerit ex contemptu aut odio S. Tribunalis, id possit incurfioni pœnarum obstat.

208 **F**undamentum dubia præstant verba Pontificis sic enim §. 5. *Nemo autem expurgationem habere, aut causam vllam proponere vel pretendere possit, qui tantum nefas in contemptum & odium huius Officij admiserit: nisi contrarium per planas probationes docuerit se fecisse.* Sic ille. Circa quod ita scribit Soula in Aphorismis Lib. 1. Cap. 28. num. 9. *Intelligitur hæc Constitutio quando offendentes ipsos Inquisitores, & ministros, id faciunt in contemptum & odium S. Officij, secus verò si ex alia causa, ex qua per claras probationes id fecisse ostendant, non in odium Inquisitionis.* Farinacius §. n. 3. (s. inquam §. Quest. 182. de heresi.) Idem tenet Lupus supra Lib. 24. Dist. 1. Art. 2. Difficult. 2. in fine. Sed cum Difficult. 9. §. Si primo modo, aperte contrarium teneat, dubitari potest an in loco priori error typographiæ substet. Cui tamen obstat videtur citatio Farinacij pro suo asserto, & quod in Catalogo erratorum in fine non continetur.

209 Sed contrarium amplectitur Ioannes Baptista Scortia in Epitome Bullarum Epit. 106. Theoria 278. dicens Pontificem non velle à præfatis pœnis eximere quempiam, eo quod tantum facinus suâ naturâ in contemptum maximum Inquisitionis vergens, docuerit se aliâ causâ, quam contemptus & odij prædicti Tribunalis fecisse: sed solum si doceat se contrarium præstitisse: quare probata quidem actio contraria violationi Inquisitionis eximit à pœnis, sed non diuersitas intentionis: vt potest si aliquis hæc commisisset rogatus precibus consanguinei, non formaliter in contemptum S. Inquisitionis. Sic ille censet. Et exemplum ab ipso adductum non ita accipiendum quasi ex illo probetur contrarium factum violationi, sed vt diuersitas, intentionis non releuet violatorem: qui enim rogatus à consanguineo tale quid perpetrat, non videtur ex formali contemptu aut odio operatus: sed nihilominus facinus committit ex se in contemptum & odium S. Tribunalis vergens, quod est ad pœnas incurendas satis. Et satis quidem contemnere Sanctum videtur Officium, qui propter pretium aut preces in eius sacrarium irrumpit, mandata violat, irreuerens, infrunitus. Aut Ecclesiam Dei contemnit: Sic Apostolus 1. Cor. 11. v. 22. quia in Ecclesia videbat indecentia quædam, dum voluptatem præferbant suam Corinthios perpetrare.

210 Dico primò. Quomodocumque impedimentum dictum contingat, excommunicatio incurritur Constitutione prædictâ. Hoc quali certum videtur statuere Carena supra n. 102. quod & tenet Lupus citata Difficult. 9. qui Art. 4. contrarium videtur amplecti quando impediens non est talis respectu hæretici, aut eius actio hæreticam sapit: solum enim ad talia Inquisitorum iurisdicção se potest extendere. Pro quo lex ad-

Thesauri Indici Tom. II.

ducit Auctores, qui de blasphemia agentes id indicant, dum non hæreticalem ad Inquisitores negant pertinere. Sed certè eorum nullus in casu nostro locutus, qui specialis est. Videtur autem Assertio efficaciter ostendi posse, tum ex praxi Romanæ Inquisitionis, annuente Pontifice: tum quia Pontifex Constitutionis Auctor nullo modo vult à pœnis expertem, qui ex humano aliquo affectu fecerit quod feruere adeo prohibetur, vnde indubitatum est illum esse grauius puniendum. Atqui non pœnis reorum læsæ Maiestatis, iuxta modum dicendi contrarium, quia in odium & contemptum non est commissum: ergo saltem excommunicatione, quæ est maxime propria Ecclesiastica potestatis. Patet illatio, quia alijs sic delinquens omnino etade- ret immunis. Si dicas puniendum pœnâ arbitrariâ. Instari validissime potest: nam eo pacto Constitutio dicta nihil in casibus talibus operatur: pœna enim arbitraria, etiam non stante Constitutione huiusmodi, statui poterat: vnde & Auctores ante Pium V. scribentes, de pœnis impedientium agunt, pro quibus & aliæ Bullæ extant, & Decretales, vt vidimus Dub. 1.

211 Dices sententiam esse multorum, quos adducit & sequitur Diana Parte 4. Tract. 7. Resol. 21. §. Verum ego, asserentium fautores hæreticorum non ligari excommunicatione Bullæ Cœnæ contra illos, nisi fauent hæreticis vt talibus: sicut & loquitur P. Sa V. Excommunicatio Bullæ Cœnæ numer. 1. & Lupus quoad forum conscientie Lib. 14. Dist. 2. Art. 1. Difficult. 7. P. Tamburinus in Decalogum. Lib. 2. Cap. 1. §. 6. num. 6. vbi se referit addicta Lib. 1. Cap. 3. §. 7. v. Hæreticus. Quod & videtur in casu nostro eum proportionem dicendum, vt non ligentur qui in odium & contemptum S. Officij non fuerint operati.

212 Sed hoc non obstat. Nam in primis sententiam contrariam in fautoribus tenent P. Suarez, P. Layman, Soula & Sanctarellus, apud Dianam §. ante nuper citatum. Et præterea P. Palaus Tomo 1. Tract. 4. Disput. 3. Puncto 5. n. 9. Nec contrarius videtur P. Martinon Tomo 5. Disputat. 59. num. 213. licet enim dicat non incurere excommunicationem fauentem ex titulo amicitie, cognationis, aut utilitatis, addit tamen extra causam hæresis. Quod & in alijs Auctoribus obseruandum, qui immeritò pro assertionem opposita referuntur. Aliud est namque fauorem præstari hæretico extra causam hæresis, quando scilicet ille non queritur, aut aliquid agitur in ordine ad hæresim puniendam. Licet enim in hoc secundo casu non faueatur vt hæretico formaliter, fauetur tamen in causa hæresis: & tunc excommunicationem incurri non videtur negare quotquot priori modo loquuntur: vnde & contrarium non esse Patrem Martinon meritò pronuntiamus. Et hoc pacto etiam accipiendum quod tradit P. Palaus Disput. 8. Puncto 16. §. 7. numer. 1. vbi ait pœnas fautorum non incurere, qui ex titulo consanguinitatis vel amicitie faciunt: ne sibi aperte contrarius euincatur. Id quod etiam bene explicat P. Fragoius Tomo 2. Lib. 1. Disput. 3. §. 1. num. 29. vers. *Excusantur*, dicens requiri ad incurrendam censuram, quod quis faueat propter hæresim, vel quod fauor

OOO

redmder

redundet in favorem heresis. Quid dicat Leander Part. 4. Tract. 3. Disput. 1. quest. 18.

213 Deinde (quidquid de præfata sententia probabilis sit) in casu nostro alia est ratio: nam Bulla Coenæ solam poenam excommunicationis profert à prædictis incurendam. Si ergo fundamentum sit ad Pontificis mentem dignoscendam; ut non sit verosimile adeo graue onus imponere, cessabit illa penitus, quia non est diuisibilis. At Pius V. in sua Constitutione diuersas poenas imponit, & manifestum est ex humano impediens affectu aliquas mereri: cum ergo grauius illæ læsæ Maiestatis non habeant locum; iuxta modum illum dicendi, excommunicatio salte debet admitti, ut *superius* arguebamus.

214 Dico secundò. Quotumque humano respectu impedimentum contingat, poenis aliis à Pontifice designatis obnoxius remanet impeditor. Sic Scortia *supra* Soula *cit.* Cap. 28. numer. 17. ubi ita scribit: *Impedientes Officium S. Inquisitionis, & ad id dantes auxilium, consilium, vel favorem, non in odium fidei, sed propter alias causas, probabile est non dici fauores hereticorum: oppositum tamen probabilis est. Dixi Cap. 23. numer. 6. & 7.* Sic ille, qui loco à se citato de receptoribus egerat, ubi nec parentes, nec filios, nec coniuges exultat, licet, numer. 8. mitius dicat puniendos. Eum sequitur Diana *supra* Resolut. 13. §. Sed ego. & uterque de impediens locutus: de quibus & agens Sanctarellus *Tract. de heresi, Cap. 41. Dnb. 3. numer. 5.* in fine, licet dicat non esse suspectos de heresi, si id faciant ex amicitia, vel contanguitate: addit tamen procedi contra ipsos posse tamquam perturbantes iurisdictionem S. Officij, quod & alij affirmant, vnde & iuxta communem videtur esse Doctorum sententiam poenas perturbatorum non effugi ex humanis respectibus, quamuis possint temperari. Quod & probò

215 Primò ex praxi Supremi S. Inquisitionis Tribunalis, & Pontificia Sedis, pro qua faciunt quæ habet Carena *supra* numer. 67. ubi puniunt quemdam à Constitutionis poenis, qui blasphemum nomine Inquisitionis captum eripuerat. Et §. 19. ubi de Regente Aponte. Et n. 99. ubi diuersas sententias delinquentium contra illam refert, licet non abiurent, quia non suspecti. Et numer. 100. vers. Sic etiam, ubi Gregorij XV. manifestam declarationem adducit.

216 Secundò. Quia si excusatio talis valeret, nullo modo à Pontifice esset grauius malo consultum, cui ipse intendit remedium efficacem adhibere, ut ex Constitutionis constat exordio. Id ostendo. Nam vix est (si aperte hereticus non sit) qui excusationem aliquam non posset adducere ex motiuo humano, à contemptu & odio S. Tribunalis alieno. Id quod in regionibus, ubi fides Catholica viget, est specialiter certum, in quibus nihil tale præsumitur, ut obleruat Lupus *supra* Dist. 1. Artic. 2. Difficult. 1. in principio, regulariter loquendo: & ideo non abiurant, ut ante eum traderent Carena *cit.* numer. 99. Deinde, si amici, si cognati, si socij, si collegæ, eripere reum absque periculo inquisitionis poenarum possunt, quæ erit in capiendi securitas? Certè si puniri tales possint virtute Pontificiorum Decretorum, ut nuper dicebamus, id Pius V. non iudicauit sufficiens ad securè in hoc

negotio procedendum: & ita securitati Ministrorum consulens, sic, ut vidimus, ordinauit. Hoc autem non consecutum liquet, si euasioni illi locus sit, de contemptu & odio minime interuenientibus, tantoperè humanis respectibus deferendo: vix enim erit, cui fautores huiusmodi desint, cum aut cognatos, aut amicos, aut collegas, seu socios, in quouis viuendi genere sit facile reperire.

217 Dices Pontificem ita significare verbis allatis, dum contemptum & odium in violatione iurisdictionis Officij sancti interuenturum exponit. Ad quid enim illud, si verba talia nullum erant effectum specialem habitura? Sed hoc certè non vrget; iam enim ex Scortia congruum expectationem accepimus.

Instrui tamen potest ex eo quod Pontifex addit, per claras probationes posse contrarium ostendi? Rogo enim quid sit hoc contrarium? An tantum nefas non admissum, quia reuera actio nulla iniuriosa extitit? cum tamen falsò imponatur. At hoc dici nequit: nam si actio non est legitime probata per euidentiam facti, non potest à quoquam exigì ut per claras probationes contrarium doceat: cum non possit nisi confessus aut conuictus condemnari; quorum nihil datur. Si autem semi-plenè probata sit, non item requiritur clara probatio in contrarium, sed proportionata: vnde testimonium vnus testis testimonio alterius eliditur, & indicia tormento purgantur, aut aliter, secundum varias Iuris dispositiones, & etiam indicij contrariis elidantur. Pro quo Auctores adducit Diana *Parte 4. Tract. 6. Resolut. 2. in fine.* Aliter ergo est illud Contrarium explicandum, ut scilicet per probationes claras ostendatur non esse factum in contemptum & odium id, de quo reus accusatur. Stare ergo ereptio, & sic actiones alia possunt, quin contemptum & odium importent, & ita ex mero facto non arguitur incurso poenarum, ex eo quòd ipsum ex se in contemptum & odium vergat, iuxta dicta.

218 Bona quidem instantia: sed ad quam occurrere instanter possumus: Nam stante præfata intelligentià de impedimento, ex se vergente in contemptum & odium S. Officij, stat posse à aliquando probationes esse in contrarium, si quis videlicet clarè ostendat se ignorasse eos, à quibus captus trahatur, Ministros S. Officij fuisse. Quod posse contingere testatur Pontifex §. 4. verbis illis: *Sciens præstiterit.* Item potuit ex graui metu operari: quo euentu excusationem Doctores admittunt, ut videri potest apud Soulam in *Aphorismis Lib. 1. Cap. 23. numer. 12.* ex Farinacio, & P. Azorio. & etiam apud P. Palaum *Tract. 4. Disput. 3. Puncto 5. numer. 13.* ubi communem dicit esse sententiam, pro qua præter Farinacium adducit Pegnam, Simancam, & Vgolinum. Et etiam apud P. Fragosum *Tomo 2. Lib. 1. Disput. 3. §. 1. numer. 27.* ubi addit alios. Præterea, si videret quis virum nobilem à Ministris nimis indecorè duci, & contra DD. Inquisitionum voluntatem id esse sibi persuaderet, quæ persuasio esset absque dubio benè fundata: numquam enim indecora huiusmodi & inurbana tractatio esse illis grata potest. Et sic alia possunt esse causæ, quæ proponi & prætendi merito possunt, & propter eas expurgationem sic proponentes & prætendentes

habere. Sic ergo non stat captum eripi scienter & sponte ex quocumque humano respectu, quin poenæ constitutionis incurrantur: cum tamen stet optime verborum illius sensus secundum datam explicationem.

219 Dico tertio. Etiam si dicamus sententiam contrariam non solum esse probabilem, sed veram, in ordine ad praxim parum deseruire potest: vnde S. Tribunal valebit semper auctoritatem suam magnà cum potestate tueri. Hoc probò & explico. Nam contendens se non ex contemptu aut odio operatum, sed ex alio humano affectu, id debet per claras probationes ostendere: cum autem intentio sit actus internus, difficillimè potest per probationes claras demonstrari. Illis igitur deficientibus, procedere S. Tribunal poterit ad poenarum inflictionem.

Dices ex Carena numer. 30. & seq. et si Pontifex claras probationes exigat, sufficere probabiles, quod benè probat. Verum cum non vtrumque probabiles in negotio adeo graui sufficiant, sed quæ valde ad claritatem accedant, idem de illis videtur dicendum, esse scilicet valde difficiles. Cumque iudicium circa hæc apud iudices sacros sit futurum, clarè ex eo apparet posse probationibus talibus non deferre, & ita reum Pontificis poenis dignum pronuntiare, pè eisdem temperando, de quo *inferius* Dub. 6. Quando etiam si tantum probabiliter procedant, excommunicationis S. Tribunalis, sicut & declaratio timenda sit, & contra eam neutiquam eundem, iuxta ea, quæ adducit D. Fermosinus *Allegat. citatâ, numer. 76.* pro quo & videndus P. Suarez *Tomo 5. in 3. p. Disput. 4. Sect. 6. numer. 6.*

D V B I V M V.

An poenæ Constitutionis prædictæ possint à Tribunali Sancto temperari.

220 Dico primò. Quod ad excommunicationem atinet, temperamentum non patitur. Id clarum, quia ut dictum *supra* numer. 213. illa non est capax diuisionis.

Dico secundò. Poenæ alia temperari possunt. Sic colligo ex Auctoribus, qui de fautoribus agentes, puniendos dicunt DD. Inquisitionum arbitrio: ex quibus aliqui negant posse illis poenam confiscationis bonorum infligi. Quos cum afferat Diana *Tract. 7. citat. Resolut. 21. §.* Hoc supposito, in fine, sic subdit: *Verum ego illam admitto, Stante Constitutione Pij V. si de protegendis, in qua clarè contra prædictos infligitur talis poena.* Sic ille, pergens §. sequenti in hæc verba: *Notandum est tamen hic titulum consanguinitatis, vel amicitie strictissima, non excusare in totum fauores hereticorum à prædictis poenis, quæ latitudinem habent, sed debent moderari pro maiori vel minori sanguinis coniunctione; & ita docent Doctores &c.* Vbi dici nequit non loqui in terminis Bullæ Pij V. cum eam referat. Quòd autem excipiat eas, quæ latitudinem non habent, propter excommunicationem dictam, iuxta priorem Assertionem. Videndus etiam Carena §. 21. & 24.

221 Deinde id probò ex praxi S. Tribunalis, de qua numer. 207. Quibus addo recentiore *Thesauri Indici Tom. II.*

casum apud D. Fermosinum: Prator namque Vallisoleranus valde in hoc genere criminolus, & propterea excommunicatus ac interdictus, absolui iussus à Regiâ Maiestate, interueniente procul dubio supremo Tribunali. Quid autem casus ille ad Bullam Pij V. spectaret, ex facto constat, & Allegatione pro ipso, præsertim n. 30. ubi illius inducta mentio.

222 Dico tertio. Prædicta potestas moderandi poenas est etiam in Tribunalibus inferioribus. Hoc potest ex eorum etiam praxi probari, & præterea ex mandato supremi Romani Tribunalis, de quo numer. 207. *cit.* ubi non infliguntur poenæ Bullæ nostræ nisi illo consulto: post sunt ergo alia infligi, iuxta Doctores, de quibus dudum: quibus adde Soulam in *Aphorismis Lib. 1. Cap. 28. numer. 20.* ubi ita scribit: *Impedientes dictum Inquisitionis Officium, siue directè, siue indirectè, tamen odium fidei, quam ob alias causas, poenâ arbitrariâ puniuntur.* Poenâ d. Comment. 79. Farinacius §. 5. numer. 73. & 74. *Quest.* scilicet 182. de hæresi sic ille. Et adducti ab ipso post Bullam Pij V. scripserunt, ut manifestum. Licet contrarium videatur tenere Carena §. 24. *citato.* ubi ait casus huiusmodi semper ad Supremum Senatuum referendos, ad quem spectat declarare incursum in poenas Constitutionis. Verum id de consilio tantum videtur dictum, vnde verè *Aduerte*, concludit sic: *Ad quos ob id consulo quòd huiusmodi causæ semper referantur.* Sic ille de Romano Senatu locutus. In Hispanico etiam faciendum ubi res non vrget. Sed pro nobis stat insuper Lupus *Lib. 24. Dist. 2. artic. 3. Difficult. 1. vers. Tum præterea* circa expositionem Constitutionis nostræ locutus.

223 Dico quartò. Quòd de priuatione Beneficiorum ipso facto statuit Pontifex verbis illis: *Beneficiis, & Officiis omnibus Ecclesiasticis præsentium auctoritate priuati &c.* moderationem etiam habere potest, non adhibita declaratione priuationis, sine qua Beneficia iuste retinentur, iuxta receptissimam sententiam, de qua sapius in *Thesauri*, & *supra* numer. 8. & videri, si placet, poterit P. Palaus *Tom. 1. Tract. 4. Disput. 3. Puncto 6. numer. 5.* & *Puncto 6. numer. 2.* Si dicas non videri sine peccato fieri posse, ut qui à Pontifice priuati sunt, non declarentur tales. Occurri potest ex eo quòd Pontifex non ita priuat, ut ad effectum priuationis non exigat declarationem. Cum ergo hæc iustis ex causis suspendi queat, has ipsas causas non videtur improbare. Quemadmodum in laicorum condemnatione accidit, quos omni dominio, dignitate, honore &c. priuat verbis illis ex §. 4. *Et perpetuo eo ipso priuatus.* Et nihilominus id stat, quod diximus, *Afferit. 2. & 3.* ubi & suspenditur, quod ad priuationem conlequens videbatur: vnde §. 13. exhortans Sæculares Potestates ad impertiendum auxilium, & poenas exequendas, his vitur verbis: *Sive in præstando ministris prædictis auxilio, siue in criminando post Ecclesiasticam sententiam animaduersione, &c.* ubi non ait post suam sententiam puniendos, ob criminâ scilicet, propter quæ omni sunt honore ac dignitate priuati: sed post sententiam Ecclesiasticam: aperte indicans futuram aliam à suâ distinctam, in qua dici-mus posse moderationem adhiberi.

224 Quibus addendum Pontificem, cum